

## Franckesche Stiftungen zu Halle

**Christiani Mündenii S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Prof. Ord.  
Selectae Theses Theologicae Vniversam Doctrinam  
Christianam Exhibentes**

**Muenden, Christian**

**Helmaestadii, 1730**

**VD18 13487477**

**Liber Sextus De Decretis Divinis Intuitu Hominum Salvandorum Aut  
Damandorum Eorumque Executione Aeterna.**

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)  
[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201546](http://urn.nbn.de/gbv/ha33-1-201546)

## LIBER SEXTVS

DE  
DECRETIS DIVINIS INTVITV  
HOMINVM SALVANDORVM AVT  
DAMNANDORVM EORVMQUE EXECV-  
TIONE AETERNA.

### CAPVT PRIMVM

DE  
PRAEDESTINATIONE ET RE-  
PROBATIONE.

#### §. I.

**T**Ota oeconomia gratiae, qua homo in  
hac vita ad veram fidem, et per fidem  
ad salutem aeternum duraturam perduci  
potest, exposita, supereft, vt, quo pacto Deus  
ab aeterno hominem saluare, aut damnare  
decreuerit, et decreta sua in aeternum fit ex-  
secuturus, consideremus. Decreta illa diui-  
na dicuntur *praedestinatio* et *reprobatio*, de  
quibus, aeque ac reliquis decretis diuinis,  
nobis iudicare non licet, nisi ex euentu, seu  
executione.

#### §. II.

*Praedestinatio*, quae in scriptura sacrâ  
nunquam in malam, sed semper in bonam

M 3

par-

partem accipitur, et etiam *electio* appellatur, speciatim stricteque sumta, est *actus diuinae voluntatis*, quo Deus hominum lapsorum sine ullo discrimine misertus, ab aeterno eos ex hac mortalitate ad aeternam beatitudinem perducere decreuit, quos in Christum credituros, et in vera fide morituros praeuidit.

### §. III.

Deum ab aeterno homines ita saluare decreuisse, quo eos in tempore saluat, inuictis comprobari potest argumentis. Si ergo ad dictum scripturae sacrae executionem decretorum diuinorum contemplamur, cognoscimus, Deum (1) homines ad aeternam vitam creare, et lapsorum hominum rursus misereri decreuisse; (2) ex hac misericordia lapsis hominibus filium suum vnigenitum redemptorem dare constituisse, ea quidem ratione, ut filius Dei hominum peccata expiaret, homines vero mediatoris satisfactionem fide sibi vindicarent; decreuisse (3) hunc ipsum in finem omnes homines ad Christum conuocare, et per media gratiae fide donare ac sanctificare; praeuidisse vero (4) plurimos homines media gratiae esse contemturos, et in durtie ac malitia cordis permanuros, vel, si conuersi fuerint, ad scelera et flagitia relapsuros; paucos vero finaliter in Christum credituros: ideoque

que hosce paucos in hac vita donis gratiae magis magisque beare, et in altera aeternum saluare decreuisse.

## §. IV.

*Deus ergo trinus est, qui sola misericordia inductus, propter satisfactionem Christi, fide finali apprehensam, homines ad vitam aeternam elegit: et electi, seu prae destinati, sunt homines, quos gratiam per Christum restitutam, et in euangelio oblatam accepturos, atque in fide ad finem usque vitae constanter perseveraturos, et diem obituros esse supremum, Deus praeuidit. Et hisce solis haereditatem caelestem Deus destinavit, ut diuitias bonitatis, misericordiae ac sapientiae manifestaret.*

## §. V.

Atque hoc praedestinationis *decretum* ex parte Dei est *aeternum*, et *immutabile*; quo ipso tamen nulla homini imponitur agendi necessitas: respectu hominum idem illud *decretum* quidem est *particulare*, nulli tamen *dubitacioni obnoxium*, siquidem homines de electione sua certi esse possunt, modo veram in Christum fidem habeant, mediis gratiae, quibus fides conseruari potest, rite vtrantur, et salutem suam cum metu ac tremore operentur.

M 4

§. VI.

## §. VI.

Ex hoc praedestinationis decreto optime cognosci potest oppositum ipsi decretum reprobationis. Reprobatio enim est *actus diuinae voluntatis, quo Deus, hominum lapsorum quidem misertus, eos tamen aeternis poenis ac cruciatibus addicere ex iusto iudicio ab aeterno decreuit, quos in Christum non credituros, media gratiae contemtueros, et in duricie ac malitia cordis sui dececessuros esse, praeuidit.* Quod ipsum decretum etiam ex parte Dei est aeternum, ac immutabile, et, vti respectu hominum est particulare, ita illis non est occultum, quia Deus iustitiam suam luculenter satis manifestauit.

## §. VII.

Nostrum est, vt τὸ βάθος sapientiae, misericordiae, et iustitiae diuinae, sancta admiratione prosequamur, gratiam caelestem, tam benigne nobis oblatam, vera cum fiducia amplectamur, et per legitimum medium gratiae usum spem de electione nostra certissimam in dies confirmemus, semper cogitantes, non Deum, sed homines ipsos reprobationis ac damnationis suae esse causam.

TA-

TABVLA SYNOPTICA.

*Ordinis ratione indicata §. I.*

I. de PRAEDESTINATIONE agitur §. II-V. ubi

1. definitio. §. II.

2. ordo decretorum diuinorum ex effectu cognoscendus. §. III.

3. praedestinationis causa efficiens, et impulsiva, obiectum et finis. §. IV.

4. affectiones. §. V.

II. de REPROBATIONE. §. VI.

III. monita practica subiunguntur. §. VII.



LIBRI

LIBRI SEXTI  
CAPVT SECUNDVM  
DE  
MORTE ET RESVRRECTIONE  
IVDICIO EXTREMO AETERNAQUE  
BEATITVDINE ET DAMNA-  
TIONE.

## §. I.

**V**Triusque decreti, et praedestinationis,  
et reprobationis, executio, vti in hac  
vita incipit, ita in *morte consummatur*, et  
post *resurrectionem manifestabitur ac perfi-*  
*cietur in iudicio extremo, atque in vita, et*  
*morte aeterna perpetuo durabit.*

## §. II.

*Mors est priuatio vitae, quae ex animae*  
*corporisque dissolutione oritur, quando cor-*  
*poris machina ita destructa est, vt circulatio*  
*sanguinis prorsus cesseret.*

## §. III.

*Causae mortis diuidi solent in physicas et*  
*m Morales. Illae sunt, vel naturales, vel praet-*  
*naturales, vel violentiae. Hae autem vel*  
*generatim, vel speciatim considerari possunt.*  
*Priori respectu hic referuntur diabolus, pro-*  
*tro-*

*troplasti*, et certo modo ipse *Deus*, videlicet, si mors ut *poena* consideretur; quo titulo *mors piorum* venire non potest, quibus potius mors est transitus ad meliorem vitam. *Posteriori* autem respectu primum ipsi *morientes*, vel directe, vel indirecte mortis suae caussa existunt: deinde etiam *alii homines*, quin et *angeli*, *boni* et *mali*, diuersa tamen ratione, inter caussas mortis morales sunt referendi.

## §. IV.

De *statu animae*, per mortem a corpore separatae, ex scriptura sacra aliter iudicare non possumus, quam quod anima superstes maneat, et statim in locum, aut beatitudinis, aut damnationis aeternae, deferatur, ibique diem extremi iudicii in sensu, vel felicitatis caelestis, vel anxietatis infernalis, exspectet. *Corpus* autem, ab anima derelictum, in puluerem reddit, more recepto, et absque ostentatione aut superstitione sepeliendum.

## §. V.

Mortuorum resurrectionem, in die iudicii extremi futuram, scriptura utriusque testamenti multis in locis luculenter confirmat. (*Dan. XII. 2. Ioh. V. 28. 29. Matth. XXII. 32. 32. 1. Cor. X V. 12. sqq.*) Et quamvis ratio resurrectionem non capiat:

(act

(act. XVII. 32.) eandem tamen potentiae, iustitiae, ac bonitati dei conuenientem esse, facile agnoscere potest.

### §. VI.

*Idem quoque numero corpus*, quod morte prostratum et destructum est, restitutum et cum anima rursus coniunctum iri, cum ex propria *άνατασσως* significatione, aliisque argumentis e scriptura sacra desumptis, tum etiam ex eo evidentissime probari potest, quod idem numero homo est resurrecturus, qui, quoad essentiam suam, constat anima et corpore. Resurrectio itaque eiusdem numero hominis, est essentialiter eadem numero anima, et eodem numero corpore constantis resurrectio.

### §. VII.

Et Deus quidem trinunus (Rom. IV. 17. VIII. 11.) ac speciatim *Christus*, mediator generis humani, (Iob. V. 21. 25. 28.) omnes et singulos mortuos, pios et impios, (act. XXIV. 15. 2. Cor. V. 10.) vno eodemque tempore resuscitabit, et e sepulcris euocabit, ut quilibet, etiam intuitu corporis, bene aut male actorum praemium aut poenam eferat. Ad quaestionem vero, utrum *im-ii*, siue *damnandi*, *virtute meriti Christi* int resurrecturi, rite explicandam, testimonia

nia scripturae sacrae (*i. Cor. XV. 21. 22. 25  
26. act. IV. 2.*) accurate modesteque sunt perpendenda.

## §. VIII.

Mortuorum resurrectionem statim excipiet *extremum iudicium*, in quo *omnes homines*, *viui et mortui*, *coram tribunali IESV Christi* *sistentur*, et electi in plenam summae beatitudinis possessionem immittentur, *damnati autem aeternis cruciatibus addicentur*. Tale iudicium vniuersale aliquando futurum esse, ratio ex prouidentiae diuinae, et status praesentis saeculi consideratione, nec non ex conscientiae propriae accusatione, quodammodo colligere potest; sacrae autem literae disertissimis verbis testantur. (*Matth. XXV. 31. sqq. i. Cor. XV. 1. Theff. IV. 16. sqq.*)

## §. IX.

Ex iisdem scripturae sacrae testimoniis totus etiam *processus* actusque iudicialis optime cognosci potest. Etenim *Christus*, a Deo constitutus iudex omnium hominum, viuorum pariter atque mortuorum, auctoritate, non aliena, sed propria, ad iudicium magna cum gloria, *ἐν κελεύσιati*, cum voce archangeli, cum tuba Dei, cumque omnibus sanctis angelis, *veniet in nubibus caeli*: et omes *mortui homines resurgent*; *viui autem immutabuntur*; *omnesque, et resuscitati*,

ti, et immutati, ab angelis *congregabuntur*, atque ad tribunal Christi perducentur: pii vero ab impiis angelorum ministerio *separabuntur*; et pii quidem ad dextram *collocabuntur*, impii ad sinistram. Tunc *piis sententia* pronunciabitur *absolutoria*, iidemque, altius euecti ad dominum, in iudicio, super impios habendo, *assessores* erunt, iustissimam Christi sententiam approbaturi, qua impii condemnabuntur. Vtrum peccata piorum hominum, aequae ac impiorum, in hoc iudicio publicanda sint, nec ne, in vtramque partem disceptatur. Piis quin peccata, in hac vita commissa, in memoriam sint redditura, nullum est dubium: eadem vero in publico hoc iudicio publicatum et commemoratum iari, in sacris literis diserte non affirmatur. *Executio* huius iudicij incipiet ab impiis, qui in gehennam praecipitabuntur: pii vero in locum beatorum introducentur. Quibus omnibus peractis Christus patri suo caelesti regnum est traditurus.

### §. X.

*Tempus extremi iudicij a Deo certum constitutum esse nouimus: (act. XVII. 31.) et quamvis in sacris literis nobis non sit definitum, nec a quoquam determinari queat; (Marc. XIII. 32.) signa tamen iudicium illud praecessura, et remotiora, et propiora, quae*

quae in scriptura sacra nobis reuelata sunt, si  
eo, quo decet, studio inquirimus, recteque  
dijudicamus, diem extremi iudicii magis  
magisque appropinquare, cognoscimus.

### §. XI.

Cum hoc iudicio extremo *consummatio-*  
*nem saeculi* coniunctam fore, itidem scriptu-  
ra sacra testatur, quae caelum et terram, et  
quae in iis sunt, corpora, igne peritura, et  
instar pallii mutatum iri asserit. (*psalm. CII.*  
*27. 2. Petr. III. 7. 10.*)

### §. XII.

Status autem summae felicitatis, in quo  
electi homines, peracto iudicio, perfectissi-  
ma atque perpetua fruentur salute, *vita ae-*  
*terna* appellatur. Per hanc enim nihil ali-  
ud intelligimus, quam *gloriam caelstem,*  
*cuius beati coram facie Dei, qua animam*  
*potissimum, tum etiam qua corpus, sine fine ac*  
*interruptione, participes erunt.* Eiusmodi  
statum post hanc vitam exspectandum esse,  
ipsa ratio quodammodo perspicit; scriptu-  
ra autem sacra quamplurimis dictis e pro-  
missionibus extra omnem, quae suboriri  
posset, dubitationem ponit.

### §. XIII.

In hac vita etiam sapientissimi mortalium  
Deum

Deum et res diuinæ tantum *en μέρες* cognoscunt; in altera vero beati Deum a facie ad faciem intuebuntur, et *immediate* videbunt, ac perfecte *cognoscent*, sicuti est. (*1. Cor. XIII. 12. 1. Ioh. III. 2.*) Et haec intuitu cognitio *summum* quoque in beatorum voluntate excitabit *amorem*, a quo omnis, quae fidelibus in hac vita adhaeret, imperfectio et inconstantia semota erit.

### §. XIV.

Hinc perfectissima consequetur *communio cum Deo*, et plenissima *imaginis* diuinæ, ad quam homo olim conditus fuit, *restauratio*, cum *ἀναμάρτυρια* coniuncta. Hinc incredibilis animi orietur *voluptas*, ac ineffabile *gaudium*, quod vti *purissimum*, ita *perpetuum* erit, omnes, quas fideles in hac vita pro Christo, et ex consilio diuino subire debuerunt, calamitates, abunde compensaturum.

### §. XV.

Sic etiam *corpora* nostra in hac vita sunt *corruptibilia*, caduca, multisque morbis, et mutationibus, morti denique obnoxia. In altera autem vita corpora beatorum non solum erunt *incorruptibilia*, sed etiam spiritualibus donis instructa, corpori Christi glorificato conformia, caelestique splendore fulgebunt. (*1. Cor. XV. 44. Phil. III. 21.*) Nec

Nec *sensuum externorum delectatio deerit*, cuiusmodi in futuram beatitudinem cadit. Praesertim *oculi corporis Christum intuebuntur*, haecque visio incredibilem pariet delectationem. Vtrum vero ipsam Dei essentiam oculis corporis visuri simus, a nobis definiri non potest.

### §. XVI.

Et hac felicitate, in se spectata, omnes beati aeternum fruentur sine discrimine, ita tamen, ut, qua *corporis gloriam*, et *dona*, quae vocantur, *accidentalia*, inaequalitas quaedam futura sit. (*I. Cor. XV. 41. sqq.*) Quod etiam proportio, quae inter labores et praemia intercedere debet, vel maxime suadet. Et quanquam non propter opera saluemur, Deus tamen vnicuique *secundum opera* sua retribuere dicitur, (*Rom. II. 6.*) proportione in praemiorum distributione ex mera gratia obseruata.

### §. XVII.

Status autem miseriae, in quem damnandi, habito iudicio, detrudentur dicitur *mors aeterna*, quae est *complexus poenarum infernalium*, quibus *damnati*, a facie domini, *omnisque felicitatis fruitione exclusi*, qua animam et corpus, sine fine et interruptione cruciabuntur. Atque eiusmodi damnationis

N

sta-

statum impiis hominibus certo imminere, ratio iisdem, quibus aeternam beatitudinem probat argumentis, euincit, et scriptura sacra luculentissimis testimoniiis confirmat.

## §. XVIII.

*Poenae* damnatorum et *priuatiuae* erunt, in carentia gloriae caelestis consistentes, et *positiuae*, quae partim priuatiuis oppositae sunt, suaque sponte ac naturaliter e peccatis fluunt, partim libera, iustissima tamen Dei voluntate, ad augendam damnatorum miseriam, sunt constitutae.

## §. XIX.

Sic *intellectus* damnatorum, siue Deum, siue se ipsos, siue alios homines, tum beatos, tum damnatos, contemplentur, noui ubique doloris argumentum deprehendet. Hinc vero cum non possit non auersatio, odium, tristitia, inuidia, furor ac desperatio, oriri, voluntatis inde augebitur miseria; et voluntate semper in malo occupata, damnati non quicquam aliud, quam quod Deo displiceat, operari poterunt.

## §. XX.

*Corporibus* damnatorum excruciantis destinatus, imo praeparatus est *ignis infernalis*. *Sensus* quoque externos poenarum non expertes fore, admodum credibile est. Quibus

bus doloribus dolores mentis non possunt  
non vehementer augeri.

### §. XXI.

Hicce poenis omnes obnoxii erunt damnati. Cum vero maxima hominum peccantium sit diuersitas, iustitia ipsa postulat, ut *diuersos* poenarum infernalium *gradus* statuamus, quos etiam scriptura sacra discrete confirmat. (*Matth. X, 15. XI, 22. 24. Luc. XII, 47.*)

### §. XXII.

Sacrae etiam literae *poenas* *damnatorum* *simpliciter aeternas* fore, nec finem habituras esse, tam luculentis verbis designant, ut *ἀπονατασάσως* patronis nihil in illis praediis sit relictum. Et quamvis *locus* damnationis aeternae in hac vita determinari nequeat, certum tamen aeternis suppliciis destinatum esse locum, dubitari non potest.

### §. XXIII.

*Causas* damnationis, diuerso respectu considerandas, ex supra dictis facile cognoscere possumus. *Deus* non aliter, quam ut iudex iustissimus est suspiciendus, qui eo ipso, dum gratiam suam ab ipsis damnatis prius repudiatam subtrahet, poenasque immittet, iustitiae, veracitatis, atque potentiae suae gloriam manifestabit. *Homines* ergo damnata-

buntur propter peccata sua, quae non solum damnationem merentur, verum etiam, accidente incredulitate finali, actu damnant.

## §. XXIV.

Dolendum sane est toto pectore, eam plerisque mortaliū esse caecitatem ac malitiam mentis, vt, licet mortem omnibus imminere videant, horam tamen mortis procul abesse, sibi semper persualum eant, et, quae de futuro iudicio, aeternaque beatitudine, aut damnatione traduntur, vel plane non credant, vel valde imminuant, atque corruptant, et re vera, nec in hac, nec in altera vita beati esse ac fieri cupiant. Futura itaque pie recteque meditemur, vt ad veram sapientiam ac prudentiam christianam perducamur. Nec est, quod mortem, vel optemus, vel extimescamus, qui Christum pro nobis mortuum esse, credimus, vt per ipsum viuamus, (*Hebr. II. 14. Ioh. XI. 25. 26.*) et Christo pro nobis mortuo ac resuscitato viuendum ac moriendum esse nouimus. Potius in spe *resurrectionis*, ac futurae *gloriae* certissima, calamitates ac infirmitates corporis, immo aduersa quaevis, hilari patientique animo feramus, et ad mortem atque iudicium nos dignis modis praeparemus. Diuina nos excitet adiuuetque gratia, vt moriamur, antequam moriamur, et

et quotidie resurgamus, ac in vita spirituali ambulemus, quo coram Deo aeternum vivamus.

## TABVLA SYNOPTICA.

*Ad decretorum praedestinationis et reprobationis executionem referenda est §. I. doctrina*

**I. de NOVISSIMIS, et quidem**

1) *de MORTE, ubi not.*

1. *definitio. §. II.*

2. *causae physicae et morales. §. III.*

3. *status animae et corporis post mortem. §. IV.*

2) *de RESVRRECTIONE, ubi probatur*

1. *eam certo futuram esse. §. V.*

2. *idem numero corpus resurrecturum. §. VI.*

3. *caussa efficiens, subiectum, finis, cum qu. de resurrectione impiorum, utrum virtus meriti Christi futura sit. §. VII.*

3) *de IUDICIO EXTREMO, cuius*

1. *definitio et certitudo ponitur. §. VIII.*

2. *processus describitur. §. IX.*

3. *tempus designatur. §. X.*

4) *de CONSVMMATIONE SAECVL. §. XI.*

**II. de VITA et MORTE AETERNA, ubi**

1) *vita ac beatitudinis aeternae*

1. *definitio et certitudo. §. XII.*

2. *essentialia.*

1. respectu animae constitutiua et consecutiva. §. XIII. XIV.
2. respectu corporis. §. XV. et
3. gradus ponuntur. §. XVI.
- 2) mortis et damnationis aeternae
1. definitio et certitudo. §. XVII.
2. poenae priuatiuae et positivae indicantur.  
§. XVIII.
1. respectu animae. §. XIX.
2. respectu corporis. §. XX. itemque
3. gradus. §. XXI. et
4. duratio, finem non habitura, asseritur.  
§. XXII.
5. caussae recensentur. §. XXIII.
- Tandem monita practica generalia subiunguntur.  
§. XXIV.



INDEX